

longius ab incunabulis typographiae discedendum esset, prima symbolorum, de quibus sermo est, initia determinare volentibus. Ille nimirum in *historia Bibliothecae Reip. Noribergensis* p. 114. ex collatione, „ inquit, vetustissimorum codicum colligi, ante an- „ num sexagesimum sextum in typographia Mogun- „ tina nondum moris fuisse, sive auctoris, sive loci, „ temporisve notam sub finem apponere, postea de- „ mum consuetudinem eam invaluisse. „ Neque ve- ro opus erit, hanc viri de ecclesia Norimbergensi meritissimi adsertionem verbosius heic corrigere, cum jam alios in hoc argumento fuisse occupatos sciamus; e quibus duos tantum nominasse sufficiat, Germanum alterum, GEORGIVM FRIDERICVM MAGNVM, qui in disertatione priore, Augustae Vindelicorum 1690. edita, *de antiquis S. scripturae versionibus Germanicis, Augustae excusis*, exempla librorum, annis 1457. 1459. 1460. impressorum, & FAVSTI jam SCHOEFFERI que nomina ostendantium, in contrarium attulit: alterum Gallum, ANDREAM CHEVILLIER, qui *de origine typographiarum Parisiensium*, sermone vernaculo commentatus, pag. 19. SAVBERTVM data opera sibi refutandum proposuit. Nos, qui ex iisdem rationibus cum SAVBERTO consentire nequaquam possumus, optamus tamen, ut illius adversarii a vehementiore censura abstinuissent. Excusandus utique SAVBERTVS est, si vel solum tempus, quo scripsit, consideremus, quippe qui inter primos ad has typographicae artis primitias colligendas animum appulit; ut jam nihil de eo dicamus, quod primi artifices, & ii ipsi etiam, qui libros suos suis nominibus aut insignibus notare solebant, illa tamen saepissime iterum omiserunt: quales libri, signis ejus-

C 2

modi